

Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 28

Conventio inter nos monachos scilicet Sancti Martini et Guismandum, cum venerit apud nos habitaturus, in camera minori que est iuxta hospitalem, habitabit. Focum ei et lectum duarum culcitarum ipsi prebebimus et unius culcite uni homini ipsius, tres cotidie panes, et IIII or vini iustas ipsis duobus, ex pane vinoque tali quali nos utemur. Alium quem libuerit cibum ex proprio ipse sibi curabit emendum. Quod si forte, quod ut dicit, litteras vult discere in civitate Turono, vel apud Castellum novum Sancti Martini voluerit habitare, ibi quoque prebebimus ei et suo homini III tantum panes quotidianos et tres tantum iustas vini. Testes hinc sunt: Vivianus Caput ferri – Drogo de Aziaco – Thomas homo eius – De nostris: Hildericus de Beziaco – Landricus famulus – Girardus de Lavarzino.